



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dom. De modico. Ioa. 16.494

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

uium excellentioris gloriæ apprehendendum inuitat! quando illa rarior gratia, quando paucioribus, & quidem te gratioribus & dignioribus concessa! in quam miserabili statu fuisses, esses, ac deinceps fores, si tibi tot incitamenta, tot exempla, tot gratiæ præsidia, quibus abundas, defuissent, deessent, aut deinceps defutura essent! His expensis ijdem ferè affectus cum propositis practicis strenuè tantæ gratiæ cooperandi possunt subiungi.

3. Hebdom.
post
Pascha.
I.

Dominica III. post Pascha.

De modico. Ioan. 16.

I. **M**odicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.
Quam tenero paterni amoris affectu pius Pater mœstis filiis prædicat breuem suum ab ijs discessum, primum quidem per passionem, postmodum porro per ascensionem: & celerem reditum, primum per resurrectionem, deinde per felicem eorum ex hac vita ad se translationem. Quod rotum tempus intermedium cum omnibus intercalaboribus, persecutionibus & cru-

cia-

ciatibus perferendis modicum appellat (& verè modicum est respectu beatæ æternitatis, & æternorum gaudiorum ipsis in cælo præparatorum) vt sic eos deiectos erigat, atque ad amorem crucis inflammet. Amor tam amabilis Patris, & resignatio ad omnia, quæ ad crucem eius pertinent, cum spe præmiorum promissorum.

II. Cum discipuli id non caperent, proindeque interrogare vellent, quid sibi vellet hoc *modicum*, benignè eos præueniens, clariùs, quod dixerat, explicat, similiq; mulieris parturientis declarat: *Amen dico vobis, plorabitis & flebitis vs, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Quàm felix piorum, suas proximorumque ærumnas, amore Dei in hac valle lacrymarum deflentium tristitia & tribulatio, quam æterna breui consequentur lætitia & consolatio! Quis crucem horreat, quam oleo talis lætitiæ vinctam videt? Affectus ijdem.

III. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Quis hoc tam amplum æternæ Veritatis promissum expendens nō exclamet cum Apostolo: *Non Rom. 8.*

June

sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis.

Et: id, quod in presenti est momentaneum.

2. Cor. 4. *Et leues tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis: Affectus iidem renouandi.*

II. De Beneficio vocationis ad Religiosum, aliumue pium statum.

I. **D**Eus vniuersalis omnium prouisor, singulis Electis ab æterno idonea media æternæ salutis incerto aliquo statu obtinendæ prouidens, tibi præ tot alijs, in tali statu Religioso, aut alio quouis pio, ad quem te vocare statuit, tam suauia, & efficacia gratiæ & gloriæ promerendæ præordinauit, sicut hucusque experiris: idque ex gratuita bonitate sua, ob fines tam sublimes, vt in carne mortali Angelicam vitam in præsentis sæculo æmulareris, eximium sanctitatis & gratiæ gradum consequereris, atque in futuro illustriorem gloriæ coronam inter præcipuos cælestis Ierusalem ciues promerereris.

O quam admiranda & extraordinaria illa Dei tui erga te dilectio! Verè

non